2: Pourquoi certaines tumeurs doivent être extirpées et d'autres simplement ouvertes, dans l'une et l'autre de ces operations quels sont les cas, où le cautere et preferable a l'instrument trenchant et les raisons de preference. 36.

Nonnulli tumores sunt de genere affectuum, qui per congestiones depravati humoris originem sumunt, brevique tempore se augent, viamque sibi parant inter duas tunicas, vel sub certis membranis, aliquando ex aliquo vase sanguinis aperto, vel rupto, quorum tria sunt genera, meliceris, atheroma, et steatoma, qui tumores ordinarie quando premuntur, digito cedunt, illi sunt aperiendi, et purgata materia pellicula vel folliculus est extirpandus, et residuum unguento suppurativo aut aliquo balsamo vulnerario, ex essentia succini, myrrh. et spiritu terebinth. est curandum, ita ut nihil restet, de partibus periculosis annexis, ne morbus recidivet. Si autem tumor est durus et scirrhosus, in ore, labio, vel lingua situs ille rescindendus, neq. septica consulo in eis partibus glandulosis et nervosis, ne cancrosum malum evadat, aut patiens aliquid corrosivi deglutiat, neque in ulceribus capitis cauterio potenti utendum suadeo, propter duram meningem per suturas, ad efformandum pericranium emergentem, acutissimum enim sensum habens, periculumq. imminebit, ne laesio ejus meningis cerebro communicetur, hinc suspicio convulsionis, et aliquando mortis, praesertim quia si tumor aut ulcus a se ipso excitatum, subjectumque scorbuticum est, et diu detinetur apertum,

Caustica quod attinet, oportet ut Chirurgus benè calleat, vires et naturam Caustici; si solitum ex metallis, ex calce viva, ex plantis aut animalibus paratum.
Dentur etiam ulcera, quæ non in principio curæ Cauterium neque sectionem permittunt, propter magna vasa sanguifera iis subjacentia, et radicem profundam, eis annexam: uti anno præterlapso matronam quandam nobilem triginta annorum, temperamenti sanguinei curavi, cui latere sinistro ab interiori supremo fœmore prope inguen sub vena et arteria crurali, ulcusculum supervenit, absque sensibili dolore, quod concitata irritatione succrevit, ita, ut obligata fuerit se alicui Chi-rurgo confidere: qui facta primum cruciali incisione, pulverem Rli Rom: coeruleum insper-gebat, aliaque corrosiva applicata fuere, absque ullo auxilio, sed potius noctes insomnes, et dies longos, ejulatibus ducebat, non sine gangrænæ periculo, malumque ita succrevit, ut brevi tempore caput infantis recens nati cum collo æquaverit, tandem frustratis omnibus alijs remediis, se curandam huc receperat, me ad se venire jussit, requisivitque ut eam curarem, detecto malo, vidi horridam excrescen-tiam pessimè olentem, in universum erat membrana Choni modo densa, excepta superficie

qua dissecta, saniosam ad nigredinem et flavedinem viscidam materiam inclinantem continuè emit-tebat, malum quasi incurabile judicabam;"

utile duxi, antequam susciperem curam, ut videat D. D. Stahl, Sacræ Majestatis Borussiæ archiater primarius, et conciliarius aulicus. ut et D. Chirurgus Cattebom, qui cum vidissent male omen prædicabant, et consulebant, ut ad communionem sacram eat, tunc omne studium adhibebatur, remediis convenientibus tam internis, quam externis, primum enim eradicare curavi, illam magnam excrescentiam scirrhosam male oleatem; non autem rescindendo propter magna vasa sanguifera subjacentia sed ligaturam primum applicando, et de die ad diem magis adstringendo; ita ut eo venerim ut possem, ope forcipis, torquendo abjicere; collum divisi, ligaturamque partibus separatis applicavi, et ita reliquum sustuli, radicem autem, cum convenienti corrosivo commixto eradicavi, incarnavi, et consolidavi. ita ut nobilis Patiens favente Deo feliciter brevi curata, ad suum maritum ab hinc profecta.